

coniugium Signorello filio Aritii. Ex qua natus est Ugolinus, quem pater et mater fecerunt clericum, et pro ipso in canonicam dederunt ipsam ecclesiam. De Pecione geniti sunt Martinus et Johannes laici. De Martino genitus est Cunizellus clericus. De Cunizello genitus est Brittolus et Bosolus laici. De Brittolo geniti sunt Guinigildolus et Guiducius laici. De Iohanne Peci geniti sunt Johannes clericus et Rodulfus et Boso laici. Suprascriptus Johannes Blancus dedit suam partem de altario sancti Stephani nepotibus suis supradictis, scilicet Cunizoni clerico et Johanni clerico et Rodulfo et Bosoni laicis fratribus. Predicto Iohanne moriente, iudicavit canonicis 20 solidos. Fratres eius Boso et Rodulfus pro ipsis solidis dederunt partes suas de altario sancti Stephani canonicis. Cunizellus clericus iudicavit canonicis medietatem sue partis eiusdem altaris. Pro alia medietate filius eius Bosolus et nepotes sui filii Brittoli acceperunt 12 solidos ab ipsis. Johannes presbiter filius Ati genuit filium Gerardum presbiterum, qui habuit aliam quartam partem. Idem Gerardus genuit Mascarum clericum. De Mascaro genitus est Gerardus laicus, qui Gerardus habuit filios et filias. Unam quidem ex eis nomine Artilia dedit in coniugium Ubaldolo filio Gerardi Fuski de Montepupe. Postea ipse Ubaldolus dedit socero suo unum modiozem de terra in loco qui dicitur Ropone et in Scarniceto pro ipsa parte ecclesie, et misit fratrem suum Ugolinum cum ipsa in canonicam.

Hactenus que mala in ecclesia sancti Stephani sunt perpetrata, et qualiter ad canonicos devenirent, sub brevitate memoravimus. Nunc, iuvante Domino nostro, quod in ecclesia S. Donati gestum fuerat, antequam ad canonicos deveniret, ad memoriam nostris posteris relinquemus. Ex eo tempore quo Gelasius presul, qui oratorium S. Donati parvum edificavit, sic autem permansit per plurimum tempus usque ad Albertum huius ecclesie episcopum. Denique ipse secutus antecessorem suum Helpertum, qui ecclesiam sancte Marie a fundamentis renovaverat, sic et iste a fundamentis ecclesiam construxit S. Donati. eamque ad medietatem deduxit, sed preventus morte, successor quidem Teodaldus perfecit. Usque ad horum tempora ordinarii clerici celebrabant omnia sacra misteria in ecclesia sancti Stephani, ubi manet sedes episcopii. Consecrata vero ecclesia ipsa a Teodaldo presule cum maximo honore, ab eo constitutum est, ut canonici in predicta canonica manentes a die consecrationis usque in cena Domini maiora officia ibidem peragerent propter honorem sancti corporis, minora quoque in ecclesia, ubi est sedes episcopalis. A cena Domini usque ad consecrationis anniversarium propter honorem episcopii ibi faciant maiora et minora in ecclesia sancti Donati. Sed quia superius diximus, quomodo presules posuerunt custodes in